



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Matthæus Ap. & Ev. 21. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

o.Sept.

21.Sept. VITÆ SANCTORVM.

459

S.MATTHÆUS AP. & EV. 21.Septembris.

V Idit Judæa hodie clarum inter pauca miraculum : Camelum scilicet per angustias acus se penetrantem. MATTHÆVS fuit, è prædivite Publicano impiger CHRISTI sectator, cuius etiam vitam literis descriptam reliquit, maximam postoris hæreditatem. In Æthiopia multa illi lucta cum Magis fuit, qui geminos aliquando in Divum dracones emiserunt, sed quos ille quam mox cicures in loca sola amandavit. Cum his monstris etiam perfidia exulavit. Nam cum insuper filium regis demortuum ad vitam revocasset, permota hujuscemodi miris regni longè maximā pars CHRISTVM amplexa est. Sed cum regnum adiisset, qui Iphigeniam jam olim Deo desponsam copulare sibi sacrilegus pertentaret, MATTHÆVS, quod palam impium procum damnaret, dum ad aram facit, securi cæsus ipse victima sacerdos cadit. Continuò Iphigenia virginitatis Patrono templum ponit. Hic Rex non amore jam modò, sed irâ etiam ardens, ignes Virginis ædibus subjicit. Sed iterum pro pudore Angelo è cælis & D.MATTHÆO pugnantibus, flamma ad tyrannī tecta evolans vix locum dedit, ut cum filio se subduceret. Nimirum mors illi minimè sicca debebatur. Sui ipsius carnifex suum denique hausit sanguinem, qui alienum semper sitiverat, regnumque Iphigeniae germano reliquit, sub quo (ut poste Christiano) liberè jam colere Æthiopia MATTHÆVM cœpit, cui quidem nos illud palmarium dicimus, quod purioribus undis primus non frustra Æthiopes laverit. Ex Lippeloo.

Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus,

V 2

intr

S.MAT

*intrâ cum peccatoribus convivium Domini tui , ut possis non esse peccator. Agnosce Christum , audi Dominum tuum, audi cælestem medicum : si vis curam, agnosc languorem ; si cupis misericordiam , confitere peccatum.* P. Chrysol. serm. 2. de S. Matth.

## S. MAURITIUS CUM SOC. MM.

22. Septembris.

**V**ocaverat ex Thebæâ legione jam semel iterumque ad supplicium decimum quemque Maximianus , cùm ita ad reliquos dux M A U R I T I V S : Libavimus milites hodie sanguinem nostrum, nondum litavimus. Sed bonum factum! libertabimus , ubi nostrum cum sociorum cruce miscerimus. Illos è cælo jam spectare vos , è cælo audire credite. Quid enim? erubescite. primus è nobis cælum subiit , quisquis decimus cecidit. Proinde si viri estis , uni semper novem invidetis. Me non ducem putate, nisi ad mortem moriendo vos duxero ; vos modò mortem triumphalem portam credite. Nimirum uno jam ore omnes Maximianum incusare ; quid tam parcè biberet, quem tam sitiret sanguinem ? Indulgeret improbae siti, quando sibi tantumdem sanguinis in divite venâ ac sociis bulliret. Si crimen esset Dñs non sacrificare, crimen hoc omnium esse. cur pauci luerent, quod omnes peccassent? Itaque cingit omnis exercitus fortissimam phalangem , inactaque omnem ; cùm ecce veteranus supervenit, clamat, frustra veteranum se dici, si præmia juvenes præripiant; frustra tot stipendia numerare, si nullam martyrii palmam. per emeritam denique senectam orat, sequi saltem triumphantes in cælum Thebæos liceret , quos præire tarda ætas prohibueret.